

# Textes présentés

## **Séquence 1 : l'œuvre au programme**

### *Pétrone, Le Festin chez Trimalcion*

#### *Satiricon, XXVII-LXXVIII*

##### **1.) Arrivée de Trimalcion et début du festin**

XXIII et XXIV : de « Ut deinde pinna argentea » à « piperato vitello circumdatam ».

Editions Hatier- les Belles Lettres p. 39 et 43.

XXIII Ut deinde pinna argentea dentes perfodit: "Amici, inquit, nondum mihi suave erat in triclinium venire, sed ne diutius absentivos morae vobis essem, omnem voluptatem mihi negavi. Permittetis tamen finire lusum." Sequebatur puer cum tabula terebinthina et crystallinis tesseris, notavique rem omnium delicatissimam. Pro calculis enim albis ac nigris aureos argenteosque habebat denarios.

XXXIII Interim dum ille omnium textorum dicta inter lusum consumit, gustantibus adhuc nobis repositorium allatum est cum corbe, in quo gallina erat lignea patentibus in orbem alis, quales esse solent quae incubant ova. Accessere continuo duo servi et symphonia strepente scrutari paleam coeperunt, erutaque subinde pavonina ova divisere convivis. Convertit ad hanc scenam Trimalchio vultum et: "Amici, ait, pavonis ova gallinae jussi supponi. Et mehercules timeo ne jam concepti sint. Temptemus tamen, si adhuc sorbilia sunt." Accipimus nos cochlearia non minus selibras pendentia, ovaque ex farina pingui figurata pertundimus. Ego quidem paene projecit partem meam, nam videbatur mihi jam in pullum coisse. Deinde ut audivi veterem convivam: "Hic nescio quid boni debet esse", persecutus putamen manu, pinguissimam ficedulam inveni piperato vitello circumdatam.

##### **2.) Discours d'Herméros : Fortunata et Trimalcion**

XXXVII et XXXVIII : de « Non potui amplius » à « Valde sucossi sunt ».

Editions Hatier- les Belles Lettres p.45.

XXXVII Non potui amplius quicquam gustare, sed conversus ad eum, ut quam plurima exciperem, longe accersere fabulas coepi sciscitarique, quae esset mulier illa quae huc atque illuc discurreret. " Vxor, inquit, Trimalchionis, Fortunata appellatur, quae nummos modio metitur. Et modo, modo

quid fuit? Ignoscet mihi genius tuus, noluisse de manu illius panem accipere. Ad summam, mero meridie si dixerit illi tenebras esse, credet. Ipse nescit quid habeat, adeo saplutus est; sed haec lupatria providet omnia, et ubi non putes. Est sicca, sobria, bonorum consiliorum: tantum auri vides. Est tamen malae linguae, pica pulvinaris. Quem amat, amat; quem non amat, non amat. Ipse Trimalchio fundos habet, quantum milvi volant, nummorum nummos. Argentum in ostiarii illius cella plus jacet, quam quisquam in fortunis habet. Familia vero — babae babae! — non mehercules puto decumam partem esse quae dominum suum noverit. Ad summam, quemvis ex istis babaecalis in rutae folium coniciet.

[XXXVIII] " Nec est quod putes illum quicquam emere. Omnia domi nascuntur: lana, credrae, piper; lacte gallinaceum si quaesieris, invenies. Ad summam, parum illi bona lana nascebatur; arietes a Tarento emit, et eos culavit in gregem. Mel Atticum ut domi nasceretur, apes ab Athenis jussit afferri; obiter et vernaculae quae sunt, meliusculae a Graeculis fient. Ecce intra hos dies scripsit, ut illi ex India semen boletorum mitteretur. Nam mulam quidem nullam habet, quae non ex onagro nata sit. Vides tot culcitrās: nulla non aut conchyliatum aut coccineum tomentum habet. Tanta est animi beatitudo! Reliquos autem collibertos ejus cave contempnas. Valde sucossi sunt.

### 3. ) *Discours de Nicéros : une histoire de loup-garou*

LXI et LXII : de « Cum adhuc servirem » à « genios vestros iratos habeam »

Editions Hatier- les Belles Lettres p.84 et 85.

LXI [...]Cum adhuc servirem, habitabamus in vico angusto; nunc Gavillae domus est. Ibi, quomodo dii volunt, amare coepi uxorem Terentii coponis: noveratis Melissam Tarentinam, pulcherrimum bacciballum. Sed ego non mehercules corporaliter aut propter res venerias curavi, sed magis quod benemoria fuit. Si quid ab illa petii, nunquam mihi negatum; fecit assem, semissem habui; in illius sinum demandavi, nec unquam fefellitus sum. Hujus contubernalis ad villam supremum diem obiit. Itaque per scutum per ocream egi aginavi, quemadmodum ad illam pervenirem: nam, ut aiunt, in angustiis amici apparent.

[LXII] "Forte dominus Capuae exierat ad scruta scita expedienda. Nactus ego occasionem persuadeo hospitem nostrum, ut mecum ad quintum miliarium veniat. Erat autem miles, fortis tanquam Orcus. Apoculamur nos circa gallicinia; luna lucebat tanquam meridie. Venimus inter monimenta: homo meus coepit ad stelas facere; sedeo ego cantabundus et stelas numero.

Deinde ut respexi ad comitem, ille exuit se et omnia vestimenta secundum viam posuit. Mihi anima in naso esse; stabam tanquam mortuus. At ille circumminxit vestimenta sua, et subito lupus factus est. Nolite me jocari putare; ut mentiar, nullius patrimonium tanti facio. Sed, quod coeperam dicere, postquam lupus factus est, ululare coepit et in silvas fugit. Ego primitus nesciebam ubi essem; deinde accessi, ut vestimenta ejus tollerem: illa autem lapidea facta sunt. Qui mori timore nisi ego? Gladium tamen strinxi et <in tota via> umbras cecidi, donec ad villam amicae meae pervenirem. In larvam intravi, paene animam ebullivi, sudor mihi per bifurcum volabat, oculi mortui; vix unquam reffectus sum. Melissa mea mirari coepit, quod tam sero ambularem, et: 'Si ante, inquit, venisses, saltem nobis adjutasses; lupus enim villam intravit et omnia pecora tanquam lanius sanguinem illis misit. Nec tamen derisit, etiamsi fugit; senius enim noster lancea collum ejus trajecit'. Haec ut audivi, operire oculos amplius non potui, sed luce clara Gai nostri domum fugi tanquam copo compilatus; et postquam veni in illum locum, in quo lapidea vestimenta erant facta, nihil inveni nisi sanguinem. Vt vero domum veni, jacebat miles meus in lecto tanquam bovis, et collum illius medicus curabat. Intellexi illum versipellem esse, nec postea cum illo panem gustare potui, non si me occidisses. Viderint quid de hoc alii exopinissent; ego si mentior, genios vestros iratos habeam."

## Séquence 2 :

### INTERROGATIONS PHILOSOPHIQUES AUTOUR DE L'ÉPICURISME

4. ) Lucrèce, *De rerum natura*, I, vers 1 à 25 : Invocation à Vénus.

Aeneadum genetrix, hominum divumque voluptas,  
alma Venus, caeli subter labentia signa  
quae mare navigerum, quae terras frugiferentes  
concelebras, per te quoniam genus omne animantum  
concipitur visitque exortum lumina solis:  
te, dea, te fugiunt venti, te nubila caeli  
adventumque tuum, tibi suaves daedala tellus  
summittit flores, tibi rident aequora ponti  
placatumque nitet diffuso lumine caelum.  
nam simul ac species patefactast verna diei  
et reserata viget genitabilis aura favoni,  
aeriae primum volucres te, diva, tuumque  
significant initum percussae corda tua vi.  
inde ferae, pecudes persultant pabula laeta  
et rapidos tranant amnes: ita capta lepore  
te sequitur cupide quo quamque inducere pergis.  
denique per maria ac montes fluviosque rapaces  
frondiferasque domos avium camposque virentes  
omnibus incutiens blandum per pectora amorem  
efficis ut cupide generatim saecula propagent.  
quae quoniam rerum naturam sola gubernas  
nec sine te quicquam dias in luminis oras  
exoritur neque fit laetum neque amabile quicquam,  
te sociam studeo scribendis versibus esse,  
quos ego de rerum natura pangere conor

5.) Lucrèce, *De rerum natura* I, vers 62 à 79, "Epicure, héros de la liberté".

Humana ante oculos foede cum vita jaceret  
in terris oppressa gravi sub religione,  
quae caput a caeli regionibus ostendebat,  
horribili super aspectu mortalibus instans,  
primum Graius homo mortalis tollere contra  
est oculos ausus primusque obsistere contra;  
quem neque fama deum<sup>1</sup> nec fulmina nec minitanti  
murmure compressit caelum, sed eo magis acrem  
inritat<sup>2</sup> animi virtutem, effringere ut arta  
naturae primus portarum claustra cupiret<sup>3</sup>.  
Ergo vivida vis animi pervicit et extra  
processit longe flammantia moenia mundi  
atque omne immensum<sup>4</sup> peragravit mente animoque,  
unde refert nobis victor quid possit oriri,  
quid nequeat, finita potestas denique cuique  
quanam sit ratione atque alte terminus haerens .  
Quare religio pedibus subjecta vicissim  
obteritur, nos exaequat victoria caelo.

6. ) Lucrèce, *De rerum natura* I, vers 80 à 101 "Le sacrifice d'Iphigénie".

Illud in his rebus vereor, ne forte rearis  
impia te rationis inire elementa viamque  
indugredi sceleris. Quod contra saepius illa  
religio peperit scelerosa atque impia facta.  
Aulide quo pacto Triviai virginis aram  
Iphianassai turparunt sanguine foede

---

<sup>1</sup> Deum = deorum (forme contractée).

<sup>2</sup> Inritat = inritavit.

<sup>3</sup> Cupiret = cuperet.

<sup>4</sup> Omne immensum: le tout immense, l'immensité du tout.

ductores Danaum delecti, prima virorum.  
cui simul infula virgineos circumdata comptus  
ex utraque pari malarum parte profusast,  
et maestum simul ante aras adstare parentem  
sensit et hunc propter ferrum celare ministros  
aspectuque suo lacrimas effundere civis,  
muta metu terram genibus summissa petebat.  
nec miserae prodesse in tali tempore quibat,  
quod patrio princeps donarat nomine regem;  
nam sublata virum manibus tremibundaque ad aras  
deductast, non ut sollemni more sacrorum  
perfecto posset claro comitari Hymenaeo,  
sed casta inceste nubendi tempore in ipso  
hostia concideret mactatu maesta parentis,  
exitus ut classi felix faustusque daretur.  
tantum religio potuit suadere malorum

7. ) Horace, *Odes* I, 11, « Carpe diem ».

Tu, ne quaesieris (scire nefas!) quem mihi, quem tibi  
Finem di dederint, Leuconoé, nec Babylonios  
Temptaris numeros. Ut melius quidquid erit pati  
Seu plures hiemes, seu tribuit Juppiter ultimam  
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare  
Tyrrhenum: Sapias, vina liques et spatio brevi  
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invidia  
Aetas. Carpe diem, quam minimum credula postero.

## Séquence 3 :

### INTERROGATIONS PHILOSOPHIQUES AUTOUR DU STOÏCISME

8.) Sénèque, *Lettres à Lucilius*, I, 1, 1 à 3 : « Sois maître de ton temps ».

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

1 Ita fac, mi Lucili: Vindica te tibi, et tempus, quod adhuc aut auferebatur aut subripiabatur aut excidebat, collige et serva. Persuade tibi hoc sic esse, ut scribo: Quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt. Turpissima tamen est jactura, quae per negligentiam fit. Et si volueris attendere, maxima pars vitae elabatur male agentibus, magna nihil agentibus, tota vita aliud agentibus.

2 Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem aestimet, qui intellegat se cotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus: Magna pars ejus jam praeteriit; quidquid aetatis retro est, mors tenet. Fac ergo, mi Lucili, quod facere te scribis, omnes horas complectere; sic fiet, ut minus ex crastino pendeas, si hodierno manum injeceris. Dum differtur, vita transcurrit.

3 Omnia, Lucili, aliena sunt, tempus tantum nostrum est; in hujus rei unius fugacis ac lubricae possessionem natura nos misit, ex qua expellit quicumque vult. Et tanta stultitia mortalium est ut quae minima et vilissima sunt, certe reparabilia, inputari sibi cum impetravere patiantur, nemo se judicet quicquam debere qui tempus accepit, cum interim hoc unum est quod ne gratus quidem potest reddere.

9.) Sénèque, *Lettres à Lucilius*, I, 4, 3 à 4 : « Le sage face à la mort ».

Mors ad te venit: timenda erat si tecum esse posset: necesse est aut non perveniat aut transeat.

(4) 'Difficile est' inquis 'animum perducere ad contemptionem animae.' Non vides quam ex frivolis causis contemnatur? Alius ante amicae fores laqueo pependit, alius se praecipitavit e tecto ne

dominum stomachantem diutius audiret, alius ne reduceretur e fuga ferrum adegit in viscera: non putas virtutem hoc effecturam quod efficit nimia formido? Nulli potest segura vita contingere qui de producenda nimis cogitat, qui inter magna bona multos consules numerat. (5) Hoc cotidie meditare, ut possis aequo animo vitam relinquere, quam multi sic complectuntur et tenent quomodo qui aqua torrente rapiuntur spinas et aspera. Plerique inter mortis metum et vitae tormenta miseri fluctuantur et vivere nolunt, mori nesciunt. (6) Fac itaque tibi jucundam vitam omnem pro illa sollicitudinem deponendo. Nullum bonum adjuvat habentem nisi ad cuius amissionem praeparatus est animus; nullius autem rei facilius amissio est quam quae desiderari amissa non potest.

10. ) Sénèque, *Lettres à Lucilius*, IX, 18 et 19: "la victoire du sage face à l'adversité: l'exemple de Stilpon".

Hic enim capta patria, amissis liberis, amissa uxore cum ex incendio publico solus et tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, cui cognomen ab exitio urbium Poliorcetes fuit, numquid perdidisset: "Omnia, inquit, bona mea mecum sunt."

19 Ecce vir fortis ac strenuus! Ipsam hostis sui victoriam vicit. "Nihil, inquit, perdidit": dubitare illum coegit an vicisset. "Omnia mea mecum sunt": justitia, virtus, prudentia, hoc ipsum, nihil bonum putare quod eripi possit. Miramur animalia quaedam, quae per medios ignes sine noxa corporum transeunt: quanto hic mirabilior vir, qui per ferrum et ruinas et ignes illaesus et indemnis evasit! Vides quanto facilius sit totam gentem quam unum virum vincere? Haec vox illi communis est cum Stoico: aequae et hic intacta bona per concrematas urbes fert. Se enim ipse contentus est; hoc felicitatem suam fine designat.